



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 91. Contajus a Burgundo ad Galliarum Regem missus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV ciis, quibus nuper Helvetios affecerant,
A.C. 1476. interemerunt.

§. XCI.

*Contajus a Burgundo ad Galliarum
 Regem missus.*

Ludovicus tum Bodnii Vellanorum ur-
 be agebat, quando Burgundici ex-
 ercitus cladem compererat. Nihilomi-
 nus gaudium, quod inde conceperat,
 tam dextre temperabat, ut moderatione
 sua, quamvis ficta fuerit, magnam ta-
 men existimationem sibi conciliaret.
 Postmodum Podnio Lugdunum progres-
 sus Contajum, quem Burgundiæ Dux
 eo ablegabat, excepit. Multum absimi-
 lis erat hujus Legationis species ab am-
 bitiosa Ducis eam decernentis indole;
 Contajus enim more supplicum ad Regis
 pedes provolutus, ingenue fatebatur,
 Ducem Dominum suum vehementer ti-
 mere, ne Rex recens ejus infortunium
 in rem suam verteret; his præmissis
 omnem eloquentiæ suæ vim, ac ratio-
 num momenta exhausit, ut Regis ani-
 mum ad generosam præteritorum obli-
 vionem, necnon ad induciarum fidem
 induceret. Ludovicus Contajum mul-
 tis benevolentiae signis exceptum facta
 petitorum spe, atque fiducia ad Ducem
 remittit, pollicitus, se inducias minime
 viola-

violaturum, nihilque sibi magis fixum, Sæcul. XV.
 destinatumque in animo esse, quam A.C. 1476.
 pacis otio ac tranquillitate frui.

§. XCII.

Legatio Ducis Mediolanensis Ludovici XI. amicitiam exorantis.

Contajo vix Lugdunum excedente, Regem salutabat alius Legatus a Mediolanensium Duce eo decretus. Galeatius enim cum Burgundiæ Duce foedus inibat, vi cuius mutuo spondebant, quod arma non modo repellere, sed etiam cunctis eorum hostibus, nequidem excepta Francia inferre vellent. Attamen vix vigesima prima dies effluxerat, cum jamjam Mediolanensis Dux improvidum sanciti foederis consilium incusaret; infaustam enim Gransonii cladem sibi pariter funestam fore pertimescebat. Unde ad Regem decrevit Legatum, virum alias in Francia penitus incognitum, eumque nonnisi mandatis oretenus communicatis instruxit, ac quidem fidei publicæ literis, sed nonnisi generali verborum forma conceptis munivit. Valuit tamen successus. Præprimis enim Legatus coram Rege ingenue fatebatur, quod Dux Mediolanensis pangendo ejusmodi foedus cum Burgundo graviter erraverit: ipsum vero imprudentiæ suæ poenitentia motum agebat.